

Andreas Grodzyczki¹⁾ an Vadian.

Posen. 1519. Juli 14.

Dank für den erhaltenen Gruss Vadians; Verzögerung des Schreibens wegen mangelnder Boten; kriegerische Gerüchte. Erwähnung der Leipziger Disputation zwischen Luther und Eck. Bitte, seinen Schwager Konrad, den Überbringer des Briefes, zu anständiger Behandlung seiner Gattin zu ermahnen.

Salutatus sum nomine tuo, clarissime domine doctor, per Conradum, generum meum, quam salutationem^{a)} animo gratissimo audivi et

suscepi eo, quod testis sit singularis erga me tuæ^{b)} benevolentiae; declarastique, te velle brevi ad me literas dare. Ego, qui iunior sum, arbitratus sum, id michi vitio dari, si non prior ad te meas darem, et iam diu^{c)} ad te aliquas dedissem, vel saltem salutationem præmissem; sed certus nuncius^{d)} per hæc tempora non se obtulit. Iocundum mihi foret, si vicissim literis nos avisarem, quamvis meæ nullam Dominationi tuæ præstare possint voluptatem sua inelegantia; sed satis habebit ex eisdem, si meum erga te studium et observantiam declarabunt. — Nova huius regni nulla sunt; auditum tamen fuit superioribus diebus, magistrum Prussiae voluisse Gedanenses navali bello impetere et aperta signa belli dare; sed mutatus est iste rumor in fabulam. Cum reliquis hostibus tam Tartaris quam Moscis regnum hoc pacem habet. Dominatio tua nova Italiae aut Galliae si aliqua habuerit, curet ea mihi significare et potissimum de illo Martino Lutero, suscitatore novarum opinionum, quem audio evocatum fuisse ad Lipsensem^{e)} gymnasium^{f)} per Ekiu[m] doctorem, plurime eruditionis certandi gratia; eventum tamen huius disputationis nondum audivi. Ego adhuc^{g)} communi opinioni adhæreo; illa enim opinio Lutheri claves ecclesie multum restringit. Dominum Conradum, rogo, exhortet Dominatio tua, ut suam uxorem honeste tractet absque verberibus, quamvis nulla facta sit iniuria sorori meæ post discessum Dominationis tuæ; sed utique non inutile erit, Dominationem tuam eum commonere^{h)}, ut a talibus malefactis absteat, quæ nobis cordi et dolori sunt, et eandem sibi recommendatamⁱ⁾ faciat. Commendo^{k)} me ex animo Dominationi tuæ, quam optime valere cupio. Ex Posnania, XIII Julii^{l)}, anno virginalis partus MDXIX.

Andreas Grodzycski,

D. T. deditissimus.

Clarissimo artium et medicinae doctori, domino Ioachim Vadiano, a Cæsare poetæ laureato, amico et maiori suo observando.

a) Überall „-cia“, „-cio“, „-ciu“ u. ähnl. für „-tia“, „-tio“, „-tiu“. — b) Durchwegs „e“ für „æ“. — c) „diu“. — d) „nuncius“. — e) „Lipscense“. — f) „gymnasium“. — g) „aduc“. — h) „comonere“. — i) „recommendatam“. — k) „comendo“. — l) „July“.

l) Von *Andreas Grodzycski* ist nur das vorliegende Schreiben in unserer Sammlung vorhanden.

1519	July 21.	J. Doerig	III	182	Nr. 47
1519	" ?	C. Schappeler	III	183.	48
1519	" ?	Jacobus ?	III	186	50